

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

0645

0643

0649

0639

0654

0634

0694

0594

0744

0544

0144

Ende

Anfang

72

Descendimus ergo paene usque ad locum, in quo exercitum dimiseramus, et ibi stetimus et deliberavimus, an gyrate montem et ascendere vellemus, non enim habuimus nobiscum ductorem, qui nobis verum ascendendi locum ostenderet. Casu autem transivit in clivo montis supra nos grandiusculus Saracenus, quem ad nos vocavimus et unum madinum ei dedimus, ut nos in montis cacumen duceret. Juvenis ergo accepto argento ad locum ascensionis ire coepit, et nos sequebamur eum, quod ut viderunt nostri ductores, egressi de umbra magnis vocibus clamarunt prohibentes nobis ascensum, dicentes, se iam velle a loco recedere. Sed et peregrini reliqui, qui in umbra remanserant, stabant et nos revocare conabantur et instare recessum simulabant. Sed nos juvenem secutus sumus et clamores eorum non advertimus, imo male contenti fuimus de clamoribus fratrum nostrorum peregrinorum. Audivi ab uno de militibus, qui nobiscum erant, qui dixit: et, si non vererer Saracenos, quorum fuorem timeo, ad peregrinos post nos clamantes me verterem eisque mala verba dicarem; quod si adhuc perseverantes clamarent, nuda posteriora eis ostenderem. Hoc dicens magnum inter nos risum concitavit. Interea elongati sumus ab eis, ita, quod clamores eorum audire non poteramus. Vidimus tamen eos ascendere equos et asinos, ac si recedere vellent sine nobis, vidimus etiam quosdam peregrinos post nos currere, qui obdurationem nostram videntes spreto clamore Sarracenorum nobiscum manserunt. Processimus ergo et ab aspectu exercitus venimus ad locum, ubi ascensus montis incipiebat, et sequentes exspectavimus, ut omnes simul essemus. Incepimus ergo ascendere per clivum altum. Porro unus de peregrinis contra montem genua flexit, et Deo invocato (209 A) sic flexis genibus ascendere incepit erecto corpore et extensis brachiis in modum crucis et ita per totum horridum et aspergium clivum ascendit, quod nec pedibus nec manibus se juvabat, sed quando necessitas eum coegit, cubitis innitebatur, ita, quod manus ad sui supertractionem non apposuit, nisi aliter non esset possibile eum ultra procedere, sicut quandoque in praecipiis. Quantum laborem et cruciatum hic peregrinus habuerit in illo ascensi, testabatur motus vehemens de uno latere in aliud,

